

dummodo ratione illius non augeatur pretium, arg. c. *Cum sæculum*. 13. et c. *Ex litteris*. 7. h. t. et ibi Fagnanus, Abbas, n. 2; Barbosa, n. 2; Pirhing, h. t. n. 72; rursus Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* loc. cit. n. 33. cum communi. Ratio est, quia contractus celebratur præcise super re temporali, cum qua tanquam principali juspatronatus annexum, tanquam accessorium transit; quia «accessorium naturam sequi principalis convenit.» c. 42. *de Reg. jur.* in 6. Nec requiritur ad hoc consensus episcopi; quia juxta repetita jam, juspatronatus transit cum re, cui est annexum, etiam absque auctoritate episcopi, arg. cit. c. *Ex litteris*. h. t. Barbosa, loc. cit. n. 46. et doctores citati, cum aliis.

31. *Juspatronatus non tantum cum universitate honorum, sed etiam cum re particulari transit, si eidem est annexum.* — Limitant quidem plures doctores, ut Fagnanus, loc. cit. n. 19 et ibi Abbas, n. 10. item in c. *Cum sæculum*. h. t. et plures alii citati a Covarruvia, lib. I. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 3. conclusionem, dicendo, eam præcise intelligendam esse in casu, quando juspatronatus adhæret universitati honorum, vel rei alieni, quæ continet jura universitatis, cujusmodi secundum ipsos sunt, civitas, castrum, pagus, oppidum, villa aut fundus, cui jura universitatis, ut jurisdictio, servitutes, onera, et actiones, etc. sunt annexa: non item, si vendatur res particularis jura universitatis non habens. Verum licet satis communis sit hæc sententia, tamen contraria dicens, quod etiam cum quavis re particulari vendatur, et transeat, dummodo eidem juspatronatus revera adhæreat, et sit annexum, ut si fundator dicat: «Volo, ut huic palatio, domui, agro, fundo, etc. juspatronatus semper adhæreat, ita ut, qui illum acquirit, habeat etiam juspatronatus,» videtur verior, juriq. conformior. Barbosa, in cit. c. *Ex litteris*. 7. h. t. n. 2; Cardinal., in c. *Cum sæculum*. h. t., Sylvester, *§. Juspatronatus*. q. 5. inclinatur etiam Covarruvias, loc. cit. et Pirhing, h. t. n. 73. Fundamentum est, quod jura, et rationes æque de tali re particulari, ac de universitate honorum militent, ut consideranti patet: et regula universalis ac illimitata ab ipsis etiam adversariis alibi illimitate sæpe posita sit, quod juspatronatus transeat cum re, cui est annexum: et universaliter accessorium sequatur naturam principalis, cit. c. 42. *de Reg.*

jur. in 6. Accedit, quod adversarii solidum in jure fundamentum limitationis dictæ non afferant. Nec enim quid probant illi canones, ubi dicitur, juspatronatus transire cum universitate honorum, quia per hoc non negant, quod transeat etiam cum re particulari, si ei est annexum, sed tantum volunt, quod cum universitate honorum transeat, si ei est annexum; et cum particulari, si eidem cohæret ob paritatem rationis: bene verum est, quod si annexum est universitati honorum, non transeat cum re particulari universitatem non continente: et e contra si annexum est rei particulari, tamen transeat cum universitate omnium honorum, utpote in quibus illa particularis res censetur inclusa; per hoc tamen non impeditur, quin transeat etiam cum sola re particulari, si ei soli est annexum, juxta dicta.

32. *Transit etiam cum feudo et emphyteusi.* — Quæritur V. An juspatronatus etiam cum feudo, emphyteusi, hypotheca, et dote transeat? Resp. I. Si alicui universitas honorum, vel castrum, prædium, oppidum, pagus, vel alia res, cui inseparabiliter annexum est juspatronatus, in feudum, vel emphyteusis datur, transit cum hac in feudatarium, vel emphyteutam etiam juspatronatus. Sylvester *§. Juspatronatus*. q. 5. diet. 5; Azorius, p. 2, lib. VI, cap. xx, q. 12, cum communi aliorum, arg. c. *Cum sæculum*, 13. h. t. et ibi Glossa *§. Emptorum*. Ratio est supra n. præced. data regula.

33. *Non item cum pignore et hypotheca.* — Resp. II. Si castrum v. g. vel alia res habens sibi annexum juspatronatus, alicui pignoredatur, aut hypotheca, non transit cum ea juspatronatus, sed manet apud debitorem, ita ut in casu vacantia ipsi, et non creditori habenti hypothecam competat jus præsentandi. Sylvester, loc. cit.; Zoesius h. t., n. 38; Azorius, loc. cit., q. 13; Innocentius, et alii, arg. c. *Cum Bertholdus*. 18. *de Sent. et re jud.* et ibi Glossa *§. Patrono*. Ratio est, quia in creditorem nec directum, nec utile dominium pignoris transit, sed nuda possessio, nisi aliter conventum fuerit, debetque creditor fructus perceptos restituere, vel in sortem computare, et peccat utendo, c. 1. *de Usur.* c. *Cum contra. de Pign.* et l. *Sed an via, ff. de Pignor. et Hypoth.* et l. *Creditori ff. de Furt.* ergo nec accessorie juspatronatus transibit. Præsertim cum ejus usum exercitum restituere amplius non posset, hoc ipso, quod ad præsentationem institutus, amplius

amoveri non valeret, et jus illud utpote spirituale exercitum temporali re compensari non posset.

34. *Bene tamen cum dote.* — Resp. III. Quando in dotem datur res habens juspatronatus, transit cum ea, ita, ut stante matrimonio non uxori, sed viro jus præsentandi competat. Barbosa, in c. *Ex litteris*. h. t., n. 3, item *de Offic. et potest. episc.* alleg. 71, n. 38; Menochius, consil. 66, n. 27; Zoesius, h. t. n. 36; Mantica, decis. 140, n. 2, et 13, atque late Garcias, *de Benefic.* p. 5, cap. IX, n. 147, cum communi aliorum contra Abbatem in c. fin. *de Concess. præb.*, n. 2. et Azorius, p. 2, lib. VI, cap. XXI, q. 16. Fundamentum est, quia juxta hæc dicta juspatronatus transit cum re in illum, qui eam cum dominio saltem uti acquirat; uti patet de feudo et emphyteusi, et concedit ipse adversarius Azorius citatus, n. præced. atqui maritus durante matrimonio habet dominium saltem utile dotis, l. *Doce ancillam. C. de Rei vindicat.* et c. *Per vestras. de Donat. inter vir. et uxorem*, et c. *Salubriter. de Usur.* ergo.

35. *Solvitur instantia.* — Nec facit aliquid, Abbatis argumentum a paritate pignoris desumptum, quia hujus rei nec dominium utile pignoris habet creditor, ut maritus dotis, consequenter disparitas est. Nec valet, quod dicit, tantum eos fructus dotis competere marito, qui serviunt pro sustinendis oneribus matrimonii, inter quos non est juspatronatus: quia hoc gratis dictum videtur contra regulam universalem, quod cum re transeat non tantum temporales fructus, sed et quasi spirituales juspatronatus in acquirentem dominium utile rei, alias certe in emphyteutam, et feudatarium cum feudo, et emphyteusi non transiret juspatronatus, quod est contra adversarios.

36. *Juspatronatus capaces sunt clerici, et laici.* — Quæritur VI. Quinam sint capaces juspatronatus? Resp. Omnes fideles non tantum clerici, sed etiam laici, masculi et feminae, legitimi et illegitimi, puberes et impuberes sunt capaces. Probatur conclusio per partes. Et quidem de clericis nemo dubitat. De laicis vero constat ex c. *Quoniam*. 3. et c. *Cum autem*. 24. h. t. et ibi doctores, estque hodie communis ac certa; non obstante, quod laici jurium spiritualium (inter quæ videtur esse juspatronatus, c. *de Jure*. 16. h. t.) non sint capaces, c. *Decernimus de Judiciis*, et c. *Tua. de Decim.* quia hujus juris capaces redditus sunt ex speciali gratia, et

permissione ac tolerantia Ecclesiæ, ut inde laici magis inducerentur ad fundandas et dotandas ecclesias, prout bene advertit Fagnanus, in cit. c. 3, h. t. a. n. 4, et ibi Abbas, n. 2. Accedit, quod juspatronatus non sit quid pure spirituale, sed tantum spirituali annexum, c. *de Jure*. 16. h. t. cujus, ex gratia Ecclesiæ facile capax redditur laicus.

37. *Masculi et feminae, feminae succedunt in juspatronatus gentilitio, nisi sint exceptæ.* — Quod autem non tantum masculi, sed et feminae capaces sint juspatronatus, docet cum communi Abbas, in c. *Ex litteris*. n. 4. et ibi Barbosa, n. 12; Garcias, p. 5, cap. IX, n. 142, arg. c. fin. *de Concess. Præb.* et c. *Ex litteris*. 7, h. t. Hinc si juspatronatus est hæreditarium, æque ad feminas, ac masculos transit. Garcias, loc. cit. n. 143; Barbosa, loc. cit. et alii, eo quod hæc quoque sint capaces hæreditatis, cui juspatronatus est annexum. Imo succedunt etiam in juspatronatus gentilitio, nisi sint exceptæ, citati doctores quos sequitur Molina *de Jur. et iust.*, disp. 627, n. 12.

38. *Capaces sunt etiam impuberes: quando ipsi, et quando loco ipsorum præsentent tutores.* — Quod impuberes quoque sint capaces juspatronatus, docent Garcias, loc. cit., n. 186; Azorius, p. 2, lib. VI, cap. XXI, q. 14; Layman, lib. IV, tract. II, cap. XIII, q. 7, n. 18, cum communi et certa aliorum, arg. can. *Piæ mentis*, 26, et seq. can. *Quicumque*, 30, et can. *Filiis*, 31, cau. 16, q. 7, ubi generaliter cuivis fidei fundanti, ædificanti, vel dotanti ecclesiam, et hæredibus ejus conceditur juspatronatus, nec ibidem nec alibi excipiuntur impuberes. Notandum tamen quod licet impuberes ante septennium jam acquirere valeant hæreditatem, illo tamen tempore actum præsentationis, defectu usus rationis exercere non valeant, sed nomine ipsorum tutor præsentet. Azorius, loc. cit.; Garcias, loc. cit., n. 193, citans et Lambert; Pirhing, h. t. n. 18. Si vero est major septennio adhuc impubes, poterit ipse præsentare, etiam sine tutoris auctoritate, Garcias, loc. cit., n. 186, et seq.; Pirhing, loc. cit.; Azorius, loc. cit.; Castro Palao, p. 2, tract. III, disp. 2, n. 40; Rebutus, *de Nominat.* q. 17, n. 40; Rota decis. 6, *de Juspatronat. in antiq.* cum communi; quia impubes septennio major præsumitur habere usum rationis: unde sicut eo tempore valide contrahit sponsalia, etiam valide præsentat, præsertim cum ad eum pertineat jus, arg.

cutandis jurib. et can. *Decernimus*. 32, cau. 16, q. 7. Fatentur tamen doctores communiter, æquum et decens esse, ut impubes præsentationem faciat auctoritate tutoris.

39. Porro quamvis satis communis sit opinio doctorum apud Garciam, loc. cit., n. 194. Castro Palao, loc. cit., n. 21, quod pupillo existente adhuc impubere, etsi majore septennio, absolute possit tutor aliquem præsentare, eo quod tutor non tantum detur personæ, sed et bonis pupilli etiam spiritualis, arg. c. fin. *de Judiciis*, in 6. Tamen fatentur etiam satis communiter, quod si præsentante tutore etiam impubes septennio major intra tempus ad præsentandum concessum, alium præsentet, hic præsentato per tutorem sit præferendus, dummodo sit habilis, etsi alter sit dignior. Doctores, n. præced. citati, inter, quos Garcia, loc. cit., n. 186, dicit, hanc esse receptam, ac communiter approbatam: tum ob rationes et jura allegata: tum quia ad pupillum pertinet præsentatio, arg. cit. can. *Decernimus*, 32, cau. 16, q. 7.

40. *Observatio practica, si impuberes præsentant.* — Imo putat Garcia, loc. cit., n. 191. ex rationibus allegatis, quod pupillo existente majore septennio, præsentatio a tutore facta penitus sit nulla, nisi de pupilli expresso vel tacito consensu fiat, ut dum tutore præsentante pupillus sciens non contradicit, nec alium præsentat intra tempus concessum: quæ doctrina licet patiatur controversiam, tamen ex ea cum Garcia, et aliis pro praxi secuta infertur, quod præsentante tutore, præsentationem non statim accipere, sed prius inquirere debeat ordinarius I. An pupillus sit septennio minor, vel major? si major; ulterius attendere debet II. An sciente, vel ignorante pupillo præsentatio sit facta? si eo ignorante facta est, faciat eam eadem intimari. Si eo sciente contigit, ulterius attendat, oportet, an non tempore ad præsentandum concessum, pupillus alium præsentarit, vel adhuc præsentaturus sit? eo quod per hunc præsentandus præferri debeat præsentato per tutorem, juxta dicta num. præced.

41. *Filiusfamilias quando præsentet, et quando loco ipsius pater?* — Quod si vero patronus jam sit pubes, etsi adhuc minor viginti quinque annis, penitus nullam amplius habebit potestatem præsentandi tutor, utpote quæ tunc sola plene competit minori, ita ut ejus præsentatio etiam absque præsentatu et consensu tutoris sit valida, tutoris

vero, si quam forte faceret, invalida. Garcia, loc. cit. n. 195 et 196; Castro Palao, loc. cit. n. 21, et alii. Ratio est, quia pubes, sive major quatuordecim annis in « Beneficialibus, et aliis causis spiritualibus, et dependentibus ab eisdem, » nullatenus dependet a tutore, vel curatore, aut parente, textu claro cit. c. fin. *de Judiciis*, in 6.

42. Id, quod de pupillo respectu tutoris diximus, item proportionaliter intelligendum est de filiofamilias respectu patris, Garcia, loc. cit. n. 197, ob eadem jura, et paritatem rationis. Solum limita in jurepatronatus, quod filio competit ratione honorum adventitiorum; horum enim usumfructum quia pater habet, etiam juspatronatus bonis annexum habebit, Castro Palao, loc. cit. n. 22; Garcia, p. 5, cap. ix, n. 205, ob fundamenta supra, n. 34, allegata.

43. *Infideles non sunt capaces juspatronatus.* — Quæritur VII. Num etiam Judæi, pagani, et hæretici sint capaces juspatronatus? Resp. I. Judæi, pagani, et infideles sunt incapaces. Abbas, in c. *Nobis*, 25, h. t. n. 3, et ibi Joan. Andreas, n. 3; Fagnanus, n. 7; Pirhing, h. t. n. 20, et communis aliorum, eo quod jura, n. 36, citata de solis christianis, ac fidelibus loquantur, quales non sunt Judæi, pagani, etc.

44. *Nec hæretici de jure communi. Quid in Germania?* — Resp. II. Loquendo de jure communi etiam hæretici sunt incapaces juspatronatus, Fagnanus, in cit. c. *Nobis*, h. t. n. 10, et ibi Abbas, n. 3; Azorius, p. 2, lib. VI, cap. XXI, q. 7 et 8. et communis. Ratio est, tum quia hæretici tanquam membra putrida et rebelles per excommunicationem ejecti sunt ab Ecclesia: ergo inhabiles sunt ad jus ecclesiasticum (quale est juspatronatus) et ad commoda favore Ecclesiæ inde insurgentia, arg. can. *Didicimus*, 31, cau. 24, q. 1, tum quia eorum bona omnia sunt confiscata, arg. c. *Cum secundum leges de Hæretic.* in 6. consequenter etiam juspatronatus eis annexum, c. *Accessorium de Reg. jur.* in 6. Et quamvis hæc ratio in foro civili non procedat apud Germanos, ubi hæretici sunt capaces hæreditatis, et immunes a dicta confiscatione, tamen procedit de eis ratio prior. Accedit quod Ecclesia, et Pontifex nunquam consenserint in illa fœdera, et paces, quibus hæretici eximuntur a confiscatione bonorum, et aliis juris pœnis; atque in successione et aliis æquales redduntur catholicis.

§ III.

DE DIVISIONE JURISPATRONATUS, PRÆSERTIM IN ECCLESIASTICUM, ET LAICALE: ET DIFFERENTIA INTER UTRUMQUE.

45. *Juspatronatus aliud activum, aliud passivum.* — Quæritur I. Quomodo dividatur, seu quotuplex sit juspatronatus? Resp. illud varie dividi. Patet inductione. Nam. I. Dividitur in activum, et passivum. Activum est ipsum jus, quod patronus habet præsentandi aliquem ad beneficium. Passivum est jus competens certis aliquibus de familia, vel loco, quod si idonei sint, exclusis extraneis per patronum necessario debeant præsentari. Barbosa, lib. III. *Jur. Eccles. univ.* cap. XII, n. 25; Monet. *de Commut. ultim. volunt.*, cap. x, n. 200; Engel, h. t. n. 16, et alii. Verum in præsentati erit tantum sermo de activo, quod supra definivimus, et de quo huc usque egimus.

46. *Aliud reale, aliud personale.* — II. Dividitur juspatronatus activum in personale, et reale. Personale est, quod personæ patroni independentem a re aliqua, vel loco coheret, ubicunque tandem existat. Reale est, quod alicui certæ rei, vel loco, v. g. castro, prædio, pago, etc. annexum est, et coheret, et cum eo transit ad quemvis etiam non hæredem, qui rem talem emptione v. g. vel mutatione, vel donatione acquirit, juxta dicta a n. 27; Engel, loc. cit. n. 17, cum communi.

47. *Aliud hæreditarium.* — III. Dividitur in hæreditarium, et gentilitium seu familiare. Hæreditarium est, quod transit ad quosvis hæredes etiam extraneos. Barbosa, loc. cit. n. 20; Covarruvias, lib. II. *Variar. resolut.*, cap. XVIII, n. 6; Monet, loc. cit. cap. XI, n. 134; Engel, h. t. n. 15, et communis, arg. c. 3, h. t. Et tale in dubio semper præsumitur esse, nisi ex fundatione, vel aliunde constet, Barbosa, loc. cit. n. 21, citans plures Rotæ decisiones, Loter. *de Benefic.*, l. II, q. 11, n. 19; Abbas, in c. 13, h. t. n. 5, et communis, eo quod juspatronatus ex natura sua transeat ad quosvis hæredes, per dicta, n. 18.

48. *Aliud gentilitium seu familiare: et quomodo de hoc constet?* — Gentilitium, seu familiare est, in quo tantum illi succediunt, qui sunt de familia et sanguine fundatoris, juxta mentem ejusdem. Ita cum communi doctores citati: quando autem tale hæredi-

tarium personale, vel reale sit, potissimum desumi debet ex prima constitutione juspatronatus, et mente fundatoris; utpote in cujus potestate est, vel omnino remittere juspatronatus, vel illud hæreditarium, aut gentilitium, vel reale, vel personale facere, uti cum aliis bene observat Engel, h. t., n. 15. In dubio tamen, uti dictum, præsumitur hæreditarium. Quamvis talis præsumptio elidatur, et e contra præsumatur gentilitium, si in ejus provisionibus semper fuit habita mentio familiæ, ac descendentiæ, et nunquam hæreditariæ qualitatis, vel quando per centum annos nullus extraneus præsentavit: cum ad probandam qualitatem juspatronatus, illud v. g. gentilitium esse, leviores sufficiant probationes, eo quod non agatur de substantia, sed pertinentia hujus juris, uti relatis decisionibus Rotæ bene observat Barbosa, loc. cit. n. 23 et 24.

49. *Aliud ecclesiasticum: et quale hoc?* — IV. Principaliter dividitur in ecclesiasticum, et sæculare, seu laicale, et in mixtum. Ecclesiasticum est, quod competit collegio, aut communitati ecclesiasticæ, puta, capitulo cathedrali v. g. collegio, monasterio, etc., vel personæ ecclesiasticæ, ratione ecclesiæ, dignitatis, aut beneficii, quod habet. Ita in re communis ac certa doctorum. Ecclesiasticum censetur etiam illud, quod ab initio fuit laicale seu sæculare, postea tamen titulo aliquo legitimo, puta, donatione, legato, testamento in ecclesiam, monasterium, collegium, vel capitulum, vel etiam in personam ecclesiasticam intuitu ecclesiæ, dignitatis, aut beneficii fuit translatum. Barbosa, loc. cit., n. 10; item *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 28; Garcia, *de Benefic.* p. 5, cap. I, n. 553, qui ambo plures allegant decisiones Rotæ. Rebuffus in *Praxi*, tit. *de Præsent.* n. 5 et 7; Covarruvias, *Pract. quæst.*, q. 36, n. 5, et communis aliorum, quod item etiam in *Theologia nostra morali* docuimus, tract. XI, dist. 3, q. 2, n. 24, textu claro nos ecclesiasticis fundatur, dotatur, aut comparatur. Barbosa, lib. III, *Jur. Eccles. univ.*, cap. XII, n. 4; Gonzalez in reg. 8. Cancellar. Gloss. 18, n. 5; Flamin. Parisius, *de Resig.*, lib. II, q. 4, n. 39, et alii, Garcia, p. 5, cap. I, n. 593.

50. *Prius laicale, postea donatum Ecclesiæ, fit ecclesiasticum.* — Infertur proin cum Garcia, loc. cit., n. 555; Barbosa, loc. cit., n. 9, quod juspatronatus competens episcopo (idem est de aliis prælatis, et personis eccle-